

Nr 27, 28. fehlt!

Am
Re
Kk.

11

DE
**HAEMORRHAGIARVM
ARTIFICIALIVM PRAEROGATIVA
PRAE NATVRALIBVS
IN COMPLICATIONE FEBRIS SYNOCHAE
CVM ACVTA MALIGNA**

P R A E S I D E
VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO ATQVE EXPERIENTISSIMO

D. ANDREA ELIA BÜCHNERO

SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,
POTENTISSIMI PRVSSORVM REGIS A CONSILIIS INTIMIS,
MEDICINAE ET PHILOSOPH. NATVR. PROFESS. PVBL. ORDINARIO,
IMPERIALIS ACADEM. NATVR. CVRIOSOR. PRAESIDE,
ET COMITE PALATINO CAESAREO,
FACVLTAT. MED. H. T. DECANO SPECTATISSIMO,

PRO GRADV DOCTORIS
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS ATQVE PRIVILEGIIS
DOCTORALIBVS RITE CONSEQVENDIS

DIE III. SEPTEMBR. A. O. R. C¹CCCCCLVII.
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA

PUBLICE DISSERET
AVCTOR
IOHANNES CHRISTIANVS SCHMINCKE
LAVENBURGENSIS.

HALAE MAGDEBURGICAE
E TYPOGRAPHEO CVRTIANO.

H
H A M M O R H A G I A R Y M
A R T H R I C A L U M P R A F F R O C H I A
P R A E N A T A R A M I U S
I N C O M P R E H E S I O N E T H E R I S S Y N O C H E
C O M M U N I C A T I O N E W I T H I N
P R A E S I D E
A T T O D I V I S A T I O N E E C C L E S I A T I S M O V I O T I T U R I U S T E R I O
D I N D R E A M I U T R I C H I N K O
P O T T I N T I S I M P R A Y A R O M R E O D A C O N S I L I S U N T I M S
M E D I C I N E E T P U L S O C H N A T A R T R O C H E T U Z Q U I N N A R I O
T H E R I U S I C H A N N A T A R C A R I O C O R T R A M I D A
E T H O U N I A T R E C E P T I O N C A S A R I O
W E A T H E R I U S I C H E C A D O S I T C A S A R I O
P R O G R A D A D O C T O R I S
S A U M I P O A T I N H I N D I G I A H O N O R I U S A T O A E P R I A T E C H I S
H O C T O R I A T A R A S R I T E C O N S E R V A N D I S
O D I C I S C I S T E R I A N I
I N D P R A M I C I A T R I D E R I C I O N A
L A B E R I C E D I S S A R E T
A V A T O R
J O H A N N E S C H R I S T I A N A S S C H M I N C K E

H A P E M A C D E R A G I D E
E T A D O G R A T H I O C A T A I A N O



DISSE^TAT^O IN AVGVRALIS MEDICA
DE
HAEMORRHAGIARVM
ARTIFICIALIVM PRAEROGATIVA
PRAE NATVRALIBVS, IN COMPLICATIO-
NE FEBRIS SYNOCHAE CVM ACV-
TA MALIGNA.

PROOEMIVM.



Duo sunt praecipue momenta, quorum ra-
tionem habere solent, qui obtinendorum
honorum academicorum caussa Differ-
tationes conscribunt: alterum scilicet,
ut materiam proponant vtilem; alterum, ne tra-
A 2 etent

PROOEMIVM.

Gent argumentum adeo excussum. Eiusdem quoque conditionis esse puto argumentum, cuius nunc pertractionem suscepī, dum mīhi iam iam animus est, pro consequendis summis in medicina honoribus cathedram academicam concēdere. Ne vero certa quaedam principia huic tractationi deficiant, quibus doctrinæ proponendae cognitio superstruantur; illa iam prius euincenda erunt, ante quam ad conclusiones et practicam argumenti rite evoluti adplicationem perueniatur. In tres adeoque abibit partes Dissertatio, quarum prima necessaria quaedam principia cognoscendi; secunda horum principiorum adplicationem; tertia denique ea in se comprehendet, quae Praxin magis respiciunt.
Faxit supremum Numen feliciter!

PROOEMIVM

CAPVT

82A 4 * 3 159 5

CAPVT L.
DE
PRINCIPIIIS QVIBVS DAM NECESSARIIS
AD ARGVMENTI PRAESENTIS TRA-
CTATIONEM.

§. I.

Dum animum induxi meum nunc differere de *haemorrhagiarum artificialium prae naturalibus praerogatiua, in complicatione febris synochae cum acuta maligna:* mearum iam fore partium iudico, certis quibusdam argumentis probare, quod in aegrotantem ex febre synocha, complicata cum acuta maligna, plus commodi ex haemorrhagia artificiali, quam naturali, redundet, indeque fieri possit, ut ille hoc modo citius ad pristinam sanitatem redeat.

§. II.

Atque haec ut rite a nobis perficiantur, opus antea erit, nonnulla hoc loco proferre, quae indolem, cauissas et effectus haemorrhagiarum naturalium, febrisque synochae et acutae malignae respiciunt. Nam ex horum omnium consideratione recte instituta luculenter patescere potest, quanta saepe impedimenta respectu salutaris totius morbi solutionis in febre synocha, complicata cum acuta maligna, suboriri possint. Indeque porro iudicare licebit, an

A 3 salu-

6 *De Haemorrhag. artificial. praerog. prae naturalibus;*

salutari solutioni tanti morbi haemorrhagiae artificiales prae naturalibus plus faueant, nec ne? Sine dubio enim est, remedii cuiusdam indolem determinandam esse a natura morbi.

§. III.

Res per experientiam notissima est, sanguinem saepius sponte, atque sine vla instrumentorum ad aperienda vasa sanguinea adplicatione, excerni. Tales autem sanguinis excretiones *haemorrhagiarum naturalium* nomine insigniri solent, atque opponuntur *artificialibus*.

§. IV.

Pro diuersitate locorum, vnde sanguinis excretiones eueniunt, *haemorrhagiarum naturalium* diuersae species constituuntur; id praecipiente Pathologia. Huc itaque pertinebunt haemorrhagia narium, sputum cruentum, haemoptysis, vomitus cruentus, fluxus haemorrhoidalis, mictus cruentus, haemorrhagiarum vteri diuersae species, vt fluxus menstruus, lochialis, tandemque haemorrhagia vteri in specie talis. His accedunt nonnullae aliae paullo rariores *haemorrhagiarum species*, vt sudor sanguineus, haemorrhagia oculorum et aurium, tandemque illa, quae ex ruptis non nunquam vasis, ad artus excurrentibus, consequi obseruabatur.

§. V.

in complicatione febris synochae cum acuta maligna. 7

§. V.

Vstatissimarum vero *haemorrhagiarum artificia-*
lium numerum subeunt *Venaefectio* et *scarificatio*.
Quibus adhuc accenseri debent *hirudinum* *ad applicatio-*
nem, *narium* *scarificationes*, tandemque *veteribus Me-*
dicis *frequentissima arteriotomia*.

§. VI.

Nostra iam nunc permultum refert, potiora mo-
menta ex pathologicis repetere, quae ad perspicue
intelligendam haemorrhagiarum naturalium indolem
aliquid faciunt. Namque ita ex comparatis illis effe-
ctibus, qui inde in corpore humano producuntur, cer-
ta quadam ratione coniicere licebit, quanta vel emo-
lumenta, vel detrimenta ex haemorrhagiis naturalibus,
in casu ad disquirendum proposito, speranda sint,
quantumque potius illis haemorrhagiae artificiales
praferri possint.

§. VII.

Modus ergo, quo sanguis ad sui spontaneam ex-
cretionem perducitur, ita est concipiendus. Patho-
logia docet, quod, aucta crouoris circa ea loca quanti-
tate, vbi excretio fieri potest, vasa ibidem valdopere
distendantur. Sub hac maiore vasorum distensione
orificia eorum vel mirum in modum dilatari, vel vasa
ipsa ruptionem pati, vel etiam, ob acrimoniam in flui-
dis

8 De Haemorrhagia artificiali, praerog. p[re]e naturalibus

dis nonnunquam simul praesentem, adrodi poterunt. Vnde necessario fieri debet, vt tunc sanguis ex vasis suis egrediatur. Atque ita haemorrhagiae naturales eueniunt, modo propter vasorum circa orifica sua nimias apertiones, modo illorum rupturas, modo adrosiones, siue diaereses.

§. VIII.

Sed quam grauia saepe sunt illa incommoda, quibus corpus humanum inter ista molimina naturae, directa ad excitanda sanguinis profluvia, subiicitur. Non rara enim esse illorum exempla, fida obseratio docuit, vbi natura sub ipsis conatibus haemorrhagicis in Scyllam incidit, dum euitare volebat Charybdim. Quaenam haec mala sint, quibus corpus humanum ex spontaneis motibus haemorrhagicis fieri solet obnoxium, nunc erit dispiciendum, quantum nimirum inde ad praesentis instituti rationem requiritur.

§. IX.

Docet iam experientia, fida illa veritatis magistra, in subiectis ad haemorrhagias procliviibus frequentissime notari grauitatem artuum, lassitudinem corporis, horripilationes, extremorum frigus, signa certissima spasticarum in perimetro corporis contractionum. Tales spasmoticae partium externalium constrictiones in una specie haemorrhagiae maiores, in alia minores esse deprehenduntur, quibus adhuc aliae

aliae afflictiones, pro diuersitate locorum haemorrhagicorum, accedunt. Ita haemorrhagiam narium antecedere solent totius faciei maior rubor ac calor, intumescens, vasorum ibidem auctae distensiones, pulsationes. Haemoptysin saepe praenunciant anxiates praecordiorum, difficultas respirandi, dolor graduatus circa scrobiculum cordis, tussis, etc. Cruenti vomitus frequentissimi sunt comites tensio quae-dam et pressio circa hypochondrium sinistrum, itemque nausea. Ante fluxum haemorrhoidalem haud raro contingunt insignes circa os sacrum dolores, stricturae ani, tenesmus, variaque alia grauia incommoda abdominis. Excretiones sanguinis ex vtero praecedunt dorfi lumborumque dolores, variae in facie, quoad colorem, mutationes, cephalalgiae, variae sensuum turbationes, tandemque imi ventris complures peculiares afflictiones. Atque eodem modo seres quoque habet cum aliis haemorrhagiarum naturallium speciebus, quarum quaelibet singularibus sibiique quasi propriis stipata deprehenditur incommodis. Quam in rem conferri meretur *Illiustr. PRAESES in Fundam. Patholog. Sect. III. Cap. I. sequ.*

§. X.

Naturali quadam consecutione ex prolatis ad §. anteced. nunc colligi poterit, necessum esse, ut sub spontaneis illis conaminibus naturae, ad haemorrhagias producendas, cortice nimirum corporis cutaneo

B

spasmo

10 *De Haemorrhag. artificial. praerog. praenaturalibus,*

spasmo adfecto, motus sanguinis ab extra introrsum magis dirigatur, et transpiratio non parum imminuat. Sub spasmo enim peripherico neque vasa sanguinea, ad peripheriam corporis excurrentia, a simili constrictione immunia manere possunt. Hinc, ob praeclusas ibidem vias, sanguis magis ad vasa internarum partium meabit, siue motus eiusdem plus introrsum verget. Quoniam etiam ex physiologicis constat, ad transpirationis liberum successum inter alia requiri, ut sanguis in et per vascula cutanea prompte transeat, externusque habitus corporis aliquo modo relaxatus sit; hinc facile inde patet, quod seri per corporis superficiem excretio a spasmo peripherico multum omnino impediatur; siquidem tunc et motum sanguinis magis introrsum conuerti, et cutim ipsam constringi, supra euictum dedimus.

§. XI.

Magis autem adhuc impeditur transpiratio in illis subiectis, quae sanguinem abundantem et spissum in corpore alunt, et quae simul istic moliminibus haemorrhagicis exponuntur. Quam frequenter hoc eueniat et obseruetur, Pathologia docet, quippe qua praeceptrice abunde constat, ad haemorrhiarum naturalium caussas praecipuas plethoram sanguinisque spissitudinem referri debere. Quantopere vero sub ista humorum in corpore constitutione excretiones naturales laedantur, nemo, nisi doctrinae pathologicae plane

in complicazione febris syuochae cum acuta maligna. **II**

plane ignarus, in dubium vocabit. Quibus saepe accedit strictior habitus externus corporis, quem in procliibus ad haemorrhagias naturales obseruare licet. Haecce enim corporis conditio, concurrentibus moliminibus haemorrhagicis, ad maioris gradus spastinum periphericum fuscipendum apta magis apprehenditur, atque idcirco simul transpirationi longe facilius grauiusque officere debet, quam si habitus corporis externus laxior et spongiosior fuerit.

§. XII.

Tantum vero abest, ut ab haemorrhagiis artificialibus tanta transpirationis impedimenta oriantur, ut potius haec inde facilime remoueantur. Arte enim prompte referari possunt vas a sanguinea, vt ex iisdem fanguis egrediatur; dum haemorrhagiae naturales quantitatem illius auctam in vasis, ad loca haemorrhagica vergentibus, requirunt (§. VII.), quod vero absque spasticis partium externarum contractionibus, multisque aliis incommodis, fieri nequit (§§. IX. X.). Sed haec omnia mala circa artificiales haemorrhagias non erunt metuenda. Confirmat quoque experientia, quam facile transpiratio restituatur plethoricis, certa sanguinis quantitate ope Venaesectionis iisdem subtracta.

§. XIII.

Atque ita in §. anteced. continetur fundamen-
tum
B 2

12 De Haemorrhag. artificial. praerog. p[ro]ae naturalibus

tum demonstrationis, cur nimirum haemorrhagiis naturalibus artificiales preferendae sint in febre *syno-cha*, complicata cum acuta maligna. Quod ut luculentius pateat, e re adhuc erit, de istarum febrium genio in peculiaribus quibusdam §§. quaedam praemonere.

§. XIV.

Ea vero iam est natura febrium in genere, id praecipiente Pathologia, vt illarum quaedam in eodem gradu vehementiae, quo inuadunt hominem, vsque ad fui decursum perdurent; quaedam vero ab isto gradu vehementiae symptomatum certis temporibus remittant; quaedam denique disparere quidem videantur, mox tamen redeunte paroxysmo febri- li. Ad primum genus febrium *synochae*; ad secundum *continuae*; ad tertium tandem *febres intermittentes* per-tinent.

§. XV.

Sed etiam aliam adhuc sequi solent rationem Pathologi in determinandis speciebus febrium. Fie- ri enim inter alia potest, vt febres vel acuti, vel ma- ligni, vel alterius cuiusdam morbi indolem p[re]se fer- tant.

§. XVI.

Quodsi iam febris quaedam huius conditionis esse

esse deprehendatur, ut in eodem vehementiae symptomatum gradu, quo adgrediebatur subiectum quoddam, usque ad sui decursum persistat, insimulque morbi acuti genium affectat, illa ad *synochas*, siue *continentes*, siue *continuas non remittentes*, siue *acutas sanguineas* referenda erit. Quando vero in febre quadam obseruare licet, illam morbi acuti et maligni indolem prae se ferre, atque simul continuam, siue huius genii esse, ut a gradu acerbitatis symptomatum intra sui decursum desistat, haec *febrium malignarum numerum* subibit.

§. XVII.

Non est, ut de veritate illorum, quae in definitionibus, ad §. antec. propositis, harumque consensu cum notionibus aliorum in arte salutari illustrium virorum ex instituto agam; dum hac de re certos fore arbitror lectores doctrinae pathologicae gnos. Dubios vero relego ad *Illustr. PRAESIDIS Fundam. Pathol. Special. Sect. II. Cap. I. et Sect. I. Cap. VII. sequ.* Hinc potius progrediar ad describendas reliquas definitarum febrium qualitates.

§. XVIII.

Vix notabilis esse solet horror, quocum ingruunt febres synochae, ingenti cum aeflu usque ad sui finem incedentes. Praeter febrilem, magnus simul pulsus hic deprehenditur. Facies aegrotantium

B 3

tur-

14 *De Haemorrhag. artificial. praerog. p[re]e naturalibus;*

turget, rubore suffunditur. Continuae adsunt cephalalgie, deliria intercurrentia, nullus somnus, aut saltem paruus, nonnunquam etiam sopor. Vrinae, quae sub hocce morbo excernuntur, colorem rutilum exhibere solent. Pro varietate tandem speciei febris continentis symptomata descripta modo leuiora, modo acerbiora esse deprehenduntur. Nam mitioris gradus esse obseruantur in febre ephemera simplice et plurium dierum, quam in illa continente, quae sese ultra integrum septenarium protrahit; utpote quae aegrum multo acerbius adfligit, ideoque etiam quasi per eminentiam nomine *febris synochae* insignitur.

§. XIX.

Sudores, haemorrhagiae narium, interdum etiam aliae haemorrhagiarum naturalium species, ut fluxus haemorrhoidalis, purgatio menstrua, in febribus continentibus oboriri deprehenduntur, idque cum maximo aegrotantium emolumento; adeoque modo enarratae excretiones ad salutares harum febrium solutiones merito pertinent. Quodsi vero istae excretiones vel deficiant, vel non succedant in determinato gradu: tunc lethalem euentum nancisci obseruantur febres synochae, pernitiosa quadam inflammatione corpori inducta.

§. XX.

Ad febrim synocham p[re]e reliquis proclivia es-
se

se deprehenduntur subiecta plethorica, admissis variis caussis, sanguinem abundantem nimium commo- uentibus. Huc etiam pertinere deprehendimus, ab- usum spirituorum, nimium calorem externe ad corpus admisum, validas eiusdem exercitationes, sub coelo in primis feruido institutas, suppressiones haemorrhagiarum naturalium, et artificialium intermissiones, grauia animi pathemata, et id genus plura alia, quae sanguini orgasnum inducere valent. Ut itaque ad causam febris synochae iure meritoque validissimae plethorae comitiones referantur.

§. XXI.

Poterit vero sanguis in corpore humano abundare citra concurrens aliud quoddam vitium qualita- tis: atque tunc *Plethora simplex* adesse concipitur. At, si sanguini quantitate excedenti alia adhuc vitia qualitatis adhaerent, tum *Plethora composita* in cor- pore humano obtinere adserunt Pathologi.

§. XXII.

Pro diuersitate igitur Plethorae, febris quoque synocha in scholis Medicorum diuidi solet in *simplicem* et *compositam*. Prior nempe Plethorae simplicis, posterior autem compositae per quam validas com- motiones requirit.

§. XXIII.

16 *De Haemorrhag. artificial. praerog. prae naturalibus*

§. XXIII.

Quoniam, teste Pathologia, febres continuas acutae ortum suum plerumque ducere solent a vitiis sanguinis qualitatibus: sequitur, vt in febre synocha, ob plethoram compositam accensa, praeter continentem, simul quoque adesse possit febris quaedam alia continua acuta. Sed febris, quae ex continente atque una vel altera continua acuta componitur, *synochus putrida* a Medicis adpellari solet. Ex quibus nunc manifesto conficitur, in casu Plethorae compositae, vt caussa febris, synochum putridam magis suborturam esse.

§. XXIV.

Ad febres continuas acutas pertinent quoque malignae (§. XVI.). Ergo speciem quandam synochi putridae (§. XXIII.) nunc consideramus in casu ad euoluendum nobis sumpto. Ad cuius iam penitiorrem cognitionem necesse erit, vt praecipuae *febrium malignarum adfectiones* exponantur.

§. XXV.

Maior percipitur horror, quo adoruntur aegrum febres malignae, quam qui deprehenditur in continentibus. Prostratio virium, insignes circa praecordia angores, debilitas in pulsibus, mala sunt, quibus haec febres a reliquis fere distinguere solent. Sed non de-

sunt

funt hic quoque mentis alienatio, obliuio, vigiliae, sopor, capitis dolor, grauitas, vertiginosa affectio. Nonnunquam lipothymiae, aut motus conuulsui in conspectum prodeunt. Exhalationes porro aegrotantium ex febribus malignis putridum quoddam spirare percipiuntur. Ea tandem est indoles harum febrium, ut horis matutinis mitius se gerant, circa vesperam autem acerbius aegrum adfigere soleant.

§. XXVI.

Docet porro experientia, febres malignas nulla alia corpora inuadere, quam quae putrida humorum colluuie referta sunt. Quae fluidorum prauitas siue ab aere impuro, siue a vitiis ingestorum, siue ab impeditis excretionibus naturalibus, siue per modum contagii, siue aliunde corpori illata sit, impraesentiarum nobis perinde esse poterit. Singula haec possibilia esse, Pathologia euincit; qua iam praeceptrice constat, causam febrium malignarum in putrida humorum constitutione, maxime lymphae et serri, sitam esse.

§. XXVII.

Enimuero dantur etiam morbi chronicci ex putrida corruptione massae lymphatico-ferosae oriundi, exemplo luis venereae, scabiei, etc. In quo igitur morbi acuti maligni, quorsum etiam febres malignae spectant (§. XVI.), different a chronicis mali-

C

gnis?

18 *De Haemorrhag. artificial. praerog. p. naturalibus,*

gnis? Latet haecce differentia in différente gradu putrefactionis humorum, indeque prognata illorum fluiditate diuersa. Fieri enim potest, vt continuus lento[r] humoribus adhaereat, putrefactiōne in iisdem pe-detentim progrediente. Atque tunc non ita grauia vitae pericula metuenda sunt, et morbus sic ex putrido ortus in longum se protrahet, adeoque chronicus erit. Quodsi vero putrefactio massam lymphatico-serosam impetuosiū adgrediatur, et fluida nimium rarefiant: tunc morbus et maxime periculosus, et breuioris decursus corpori ingenerari debet. Erit igitur haec differentia essentialis, quae morbos malignos acutos et chronicos intercedit, vt in illis fluida sint rarefacta, in his lentore inquinata. De quo conferri poterit D. RVDOLPH Dissert. inaug. *de Gradiibus malignitatis in morbis malignis*, duobus abhinc annis sub *Illustri PRAESIDE* ventilata.

§. XXVIII.

Natura in morbis ex putrido oriundis non alio modo sibi prospicere potest, quam expulsiōne particularum putridarum ex corpore. Fit ista eiectio putridi, ex corpore febri malignae obnoxio, dupli-ci praecipue modo, vel sudoris, vel exanthematum in peripheria corporis productione. Quando istae excretiones in determinato gradu intra certum tempus febrile oboriuntur, tunc febrium malignarum

in complicatione febris synochae cum acuta maligna. 19

rum salutares solutiones fieri, aegrumque sanitatem recuperare, obseruatio monstrat. E contraria vero parte male res succedere solet, si vel nunc nominae excretiones deficiunt, vel illarum in locum aliae succedunt, ut diarrhoeae. Facile enim sequuntur sphacelosae viscerum corruptiones; vbi idecirco aegro necessario succumbendum erit.

§. XXIX.

Quodsi haec omnia, quae in §§. anteced. de febre synocha et acuta maligna disputata sunt, rite inter se conferantur: haud difficultate intelligere licebit, quantum in ista specie synochae putridae (§. XXIV.) vita aegri periclitetur, quantaque saepe impedimenta salutaris solutionis in hac febre complicata sponte suboriantur.

§. XXX.

In quantum vero ista impedimenta ope haemorrhagiarum artificialium praecaueri vel remoueri possint, de eo iam disquiram; prolatis haec tenus principiis ad idem commonstrandum necessariis. Atque ita ad alteram Dissertationis meae partem progedior.

CAPVT II.

DEMONSTRATIONEM EXPONENS
QVOD HAEMORRHAGIAE ARTIFICIALES
PRAEROGATIVAM PRAE NATVRALIBVS HABEANT
IN FEBRE SYNOCHA, COMPLICATA CVM
ACVTA MALIGNA.

§. XXXI.

Tradenda in praesenti Capite eo iam redibunt, vt
ex natura febris synochae, cum acuta maligna
complicatae, adeoque determinatae speciei synochi
putridae (§. XXIV.), euictum reddatur, aegro ma-
gis fore proficuas haemorrhagias arte prouocatas,
quam quae a natura, sibi in hoc morbo relicta, pro-
ducuntur. Quo rite peracto, haemorrhagiарum ar-
tificialium praerogatiua p̄ae naturalibus sponte elu-
cescet (§. I.).

§. XXXII.

Erit igitur necesse, vt ad hosce usus hic ea
transferantur, quae in Capite antecedente, de haemor-
rhagiарum naturalium, febriumque continentium
et malignarum affectionibus, erant in medium
prolata.

§. XXXIII.

Omnis haemorrhagia, siue illa naturalis fuerit,
siue

sive arte producta, nullum alium effectum in corpore patrare potest, quam qui dependet ab imminuta sanguinis in corpore quantitate. Quia itaque in febribus synochis Plethora obtinet (§. XX.); hinc illas iam salutariter solui posse patet, facta nimurum sanguinis excretione sufficiente (§. XIX.). Sed secus se res habet cum febribus malignis. In his enim putrida massae lymphatico - serolae constitutio locum inuenit, cum illius rarefactione simul coniuncta (§§. XXVI et XXVII.). Febrium ergo malignarum causam non imminuent haemorrhagiae, dum a sanguinis euacuationibus mixtio fluidorum directe alterari nequit.

§. XXXIV.

Ex physiologicis constat, sanguinem in serum conuersti, et hoc quoad sui maximam partem ope transpirationis ex corpore eliminari. Non poterit ergo non fieri, ut beneficio huius excretionis massae sanguineae quantitas sensim sensimque imminuat. Quod cum ita sit, sequitur etiam, ut opitulante sudoris excretione Plethora tollatur, istaeque inde salutariter soluantur (§. XIX.). Sed febrium malignarum salutares solutiones aequae contingent ope earundem excretionum sudoris (§. XXVIII.). Convenire ergo inter se poterunt solutiones febris synochae et malignae, et vtroque tali modo hae feliciter decurrent.

C 3

§. XXXV.

§. XXXV.

Si ea vero ex pathologicis hoc loco repetantur, quae ibidem de variis plethorae effectibus in corpore traduntur: satis luculenter adparebit, non ita prompte et absque omni difficultate oboriri posse illum febris synochae, cum acuta maligna complicatae, solutionem, de qua sermo erat in §. anteced. A plethora enim saepe impediuntur excretiones naturales (*Illusfr. PRAESIDIS Fundam. Patholog. gener. Sect. III. Cap. VIII.*). Quia de re quoque necessum erit, ut inde etiam transpirationis impedimenta in corpore suboriantur. Irrita ergo saepe erunt conaminae naturae, excretionem sudoris, indeque dependentem salutarem solutionem morbi modo dicti mollientis. Sed quod iam est remedium expeditius ad plethoram imminuendam, et tollenda illa impedimenta, quae inde ratione excretionis periphericae suboriuntur, quam haemorrhagia artificialis (§. XII.)?

§. XXXVI.

Hisce porro accedit, quod naturae molimina spontanea, ad haemorrhagias producendas tendentia, spasticas peripheriae corporis constrictiones sibi habent comites, indeque sudoris excretiones impediuntur (§. X.).

§. XXXVII.

Maximi vero momenti saepe sunt ista impedimenta,

menta, quae ob spasmodum, in cortice exteriore cutis natum, transpirationi opponuntur; considerata illa relatione vel ad speciem haemorrhagiae, quam natura molitur (§. X.), vel ad subiectum, in quo eiusmodi molimina haemorrhagica suboriuntur (§. XI.).

§. XXXVIII.

Ex quibus iam rite ponderatis colligere licet, inter spontanea illa molimina haemorrhagica adesse in corpore, ex febre quadam acuta maligna decumbente, impedimenta, quo minus illius salutaris solutio tam facile fieri poslit. Haec enim est indoles febrium acutarum malignarum, ut illarum solutiones salutares spontaneae non nisi per sudoris excretionem, vel exanthematum eruptionem in peripheria corporis, contingent (§. XXVIII.). Neutrum vero obtineri potest, spasmus in peripheria corporis saeuiente (§§. XXXVI. et XXXVII.).

§. XXXIX.

Atque tunc pessimi illi effectus, quos materia maligna ex sui retrogressione ad viscera in iisdem producere solet (§. XXVIII.), eo citius in febre maligna consequentur, quae simul complicatur cum synocha; quae alias quoque admodum proclivis est ad exitiales in corpore accendendas inflammations (§. XIX.).

§. XL.

24 *De Haemorrhagiis artificiali, p̄raerog. p̄ræ naturalibus;*

§. XL.

Quoniam vero ab haemorrhagiis, quae arte prouocantur, eiusmodi spasticarum affectionum in peripheria corporis productiones non metuendae sunt, illarumque ope plethora cito imminuitur, et transpiratio, quae ob sanguinis abundantiam impedita erat, facile restituitur (§. XII.); hinc omnino iam sequitur, ut ope haemorrhagiarum artificialium impedimenta illa cito remoueantur, quae salutari febris synochae, complicatae cum acuta maligna, solutioni officiebant (§. XXXIV.).

§. XLI.

Singularem praeterea id adhuc considerationem meretur, quod tempestiue susceptae euacuationes sanguinis in ista febre valdopere inferuire debeat conseruationi virium aegri. Satis enim notum est per experientiam, quantopere illorum corpora debilitentur, in quibus molimina haemorrhagica vrgent, et natura incassum operatur. Accedit, quod ob nimiam humorum rarefactionem, quippe quae in febribus malignis locum habet (§. XXVII.), haemorrhagiae naturales efferae esse possint; exemplo haemorrhagiae narium inde nonnunquam excedentis (*Illustr. b. m. HOFFMANNVS in Med. rat. system. Tom. IV. Part. II. Seçt. I. Cap. I.*) Sed quantum adteruntur vires corporis humani ex nimia sanguinis iactura? Haec vero mala

mala praecaudentur, mature instituta subtractione san-
guinis in febribus synochis, cum acutis malignis com-
plicatis.

§. XLII.

Singula haec, de quibus in hoc Capite differui-
mus, nunc ita argumentandi ansam nobis suppedita-
nt. Si verum est, quod haemorrhagiae artificia-
les salutarem febris synochae, cum acuta maligna
complicatae, solutionem magis promouent, quam
naturales: illae quoque his magis erunt proficuae
aegrotantibus. Sed verum est prius: nam haemor-
rhagiae artificiales id efficiunt in complicatione febris
synochae cum acuta maligna, ut prompte remotis
impedimentis, quae obsunt salutari solutioni huius
morbi, haec magis promoueatur, viresque aegro-
tantis conseruentur (§§. XXV, XL, XLI.). Quin
ergo et posterius, verum sit dubitari nequit. Hinc
haemorrhagiae ope artis in casu morbi propositi pro-
uocatae, naturalibus magis proficient.

§. XLIII.

Tandem: Quodcunque remedium in febre sy-
nocha, complicata cum acuta maligna, p[re] altero
magis prodest, hoc quoque sibi praerogatiuam p[re]
illo vindicabit (§. XXXI.). Atqui haemorrhagiae
artificiales in febre synocha, complicata cum acuta
maligna, p[re] naturalibus magis profund (§. anteced.).

D

Ergo

26. *De Haemorrhag. artificial. praerog. p. naturalibus*

Ergo haemorrhagiae quoque artificiales p. natura-
libus quandam sibi praerogatiuam vindicabunt.

§. XLIV.

Atque eandem quoque veritatem confirmat experientia, optima illa veritatis magistra. Nam dum iam erat compertum inter viros, in exercitio artis versantes, quantum sanguinis subtractiones valeant ad profliganda vitae pericula aegrotantium ex synocho putrida, illorumque sanitatem cito reparandam. De quo egregia testimonia nobis exhibent scripta priscorum Medicorum. Huius quoque loci erit excitare *Illustrem b. m. HOFFMANNVM l. c.* Tom. IV. Part. I. Sect. II. Cap. I.

§. XLV.

Suppeditatis iam fundamentis, quibus demon-
stratio, de praerogativa haemorrhagiarum artificiali-
um p. naturalibus, in complicatione febris synochae
cum acuta maligna, innititur, ad practicam eiusdem ar-
gumenti considerationem me nunc conuertam.

CAPVT

CAPVT III.

DE

THERAPIA FEBRIS SYNOCHAE
COMPLICATAE CVM ACVTA
MALIGNA.

§. XLVI.

Nullum alium finem habet Medicus, qui ad sanandos aegros accedit, quam ut illorum sanitas amissa convenientibus remediis restituatur, morbo plane sublato; vel, si id fieri nequit, vita ad minimum conseretur, facta morbi mitigatione. Quae vt iam obtineri possint, opus erit ad morbi causas eiusque symptoma animum dirigere. Ita enim facilius constabit, quae remediorum genera in morbo curando adhiberi, quaenam euitari debeant. Atque haec sunt fundamenta, quibus generatim recte susceptae morborum curationes innituntur.

§. XLVII.

Simili ratione sese res quoque habebit in casu nostro. Cuius legitimae tractationi quaenam regulae respondeant, nunc explicatius erit proponendum.

§. XLVIII.

Febres synochas a commotionibus plethorae ortum suum ducere, ex §. XIX. adparet. Atque

D 2

eodem

28 *De Haemorrhag. artificial. praerog. prae naturalibus,*

eodem loco simul liquet, sponte saepius fieri istarum febrium salutarem solutionem, subortis vel sanguinis, vel sudoris excretionibus. Sed praeter febrem synocham in casu nostro aliqua adhuc maligna requiritur: quam nonnunquam ope sudoris sponte salutarter solui §. XXVIII. docet. Hisce igitur suppositis, sequitur, ad febris synochae, complicatae cum acuta maligna, rectam curationem necessum esse, ut sanguinis euacuatio instituatur, continuusque usus blandorum diaphoreticorum subiungatur.

§. XLIX.

Quoniam vero, haemorrhagias artificiales naturalibus in ista febre complicata magis esse preferendas, superius euicimus (§. XLII.): non retardandae erunt istae artificiales sanguinis euacuationes in morbo tam atroci. Suborta enim exitiali quadam inflammatione in visceribus, (ad quam febris synochae complicatio cum acuta maligna perquam proclivis est,) fero medicina paratur.

§. L.

Ad quantitatem sanguinis, in casu proposito euaciandi, quod attinet: illam omnium optime determinare licebit ex magnitudine in pulsibus decrescente horumque mollitie comparente. Quo simul fieri solet, vt tum etiam signa paullo auctioris transpiracionis in corpore adpareant. Si quo in alio morbo, certe

certe in casu praesenti admodum suspecta et noxia erit affectio lipothymica. Ad quam ergo praeca- uendam, iuuabit venam incisam saepius comprimere, et sanguinem successiue, vsque ad sufficientem quantitatem, emittere. De quo argumento conferri me- retur *Illustre. PRAESIDIS* Dissert. de rite determinanda quantitate sanguinis sub V. S. emissiendi. Praeclare igitur praecipit *Illustre. b.m. HOFFMANNVS*, in §. XLIV. ibidem citatus, non audiendum esse *GALENVM*, qui sanguinem ad animi vsque deliquium mittere suadet. Pessima namque mala inde suboriri debere, quiuis mihi facile concedet, qui serio considerauerit, quanto- pere in affectione lipothymica motus progressiuus languinis sufflaminetur, et excretiones naturales per- turbentur.

§. LI.

De modo subtrahendi hic adhibendo paucis ad-
huc differendum esse puto, priusquam vterius in ex-
ponenda curatione morbi nostri progrediar. Inter
omnes illos modos in §. V. recensitos, quibus ars vti
solet ad educendum sanguinem ex corpore, sine dubio
principem sibi locum vindicabit *Venaesectione*. Reliquis
enim promptior et commodior est. Fit tamen inter-
dum, vt *venaesectionem* abhorreat aeger, eandemque
in pueris plane non admittendam esse existimet vul-
gus. Atque tum *birudines* collo et medianae adplicen-
tur, aut culmus straminens naribus valide intrudatur:
quo sanguinem euacuandi genere se cum fructu in casu

D 3

prae-

HII. 2

praesente usum fuisse testatur *Illusfr. b. m. HOFFMAN-*
NVS l. m. c.

§. LII.

Vanus praeterea mihi esse videtur illorum metus, qui ideo sanguinis missiones in morbo praesente reformatre solent, ne forte exanthematum eruptio impeditatur, aut si eorum quid iam adpareat in peripheria corporis, iterum illa retrogradantur. Sed qui illa considerat impedimenta, quae in synochis putridis obiciem ponunt liberiori transpirationi, ille longe aliter iudicat. Origo enim malorum plethorae hic debetur, ad quorum promptam discussionem artificiales sanguinis euacuationes maxime valent, dum hoc modo liber transpirationis successus mox restituitur (§. XXXV.). Poteritne vero eiusmodi remedium perruptionem exanthematum impedire, aut illorum regressiones ad loca interiora promouere, quod adhibitum in morbo saepius nominato, transpirationi liberiori adeo fauet? Alias idem prauus effectus a diaphoreticis metuendus foret; quod vero nemo rerum medicarum gnarus adseuerare ausit. Docuit potius experientia, fidissima illa veritatis praeceptrix, quod usus diaphoreticorum in synochis putridis saepe frustraneus fuerit, neque prius sudoris excretiones et exanthematum eruptiones successerint, quam post institutam venaectionem.

§. LIII.

in complicatione febris synochae cum acuta maligna. 31

§. V. LIII.

Peracta sanguinis sufficienti euacuatione aegro exhibeantur diaphoretica, eaque temperata et fixa. Calida enim hic minus conueniunt, cum in synochis vehemens admodum sit sanguinis orgasmus. Febres praeterea malignae requirunt diaphoretica huius conditionis, quae massae humorum depravatam mixtio-
nem (§. XXVII.) simul corrigunt. Quapropter terrea simplicia, cum paucō nitro depurato et antimonio diaphoretico remixta, in pulueribus aut potionibus exhibita, accessit in hunc finem aquis diapnoicis et analepticis; tandemque vsus acidorum, potus aqueus, ptifanae, et huius genii alia, optimis remediis adnume-
rari debent, usurpandis in ista febre complicata.

§. LIV.

Dum praeterea ex superioribus patet, in febre synocha, complicata cum acuta maligna, non deesse grauia deliria, atque inde res aegri peiores reddi: huius quoque mali mitigandi rationem necessario habere debet Therapeuta. Conducet ergo hic applicatio vesicatoriorum ad suras, itemque epithematum paregori-
corum et discutientium ad caput.

§. LV.

32. *De Haemorrhag. artifcial. praerog. prae naturalibus, &c.*

§ LV.

Organ De refectione aegri, de eiusdem quieta continen-
tia, de cura excretionum naturalium aliquis in cura-
tione huius febris obseruandis, plura dici possent: sed
quia haec in omni febre locum habent, contra institu-
tum foret, generalia specialibus immiscere. Hinc
Dissertationi meae impono.

FINE M.



VI.

PRAE-

PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
DOMINO CANDIDATO

S. P. D.

D. IO. PET. EBERHARD,

MED. PROFESS. PVBL. ORDIN.

Et si corporis humani mackina, tanta cum sapientia structa sit, ut vi vitali et animali sensationis et irritabilitatis se ipsam conferuet, peregrina noxia expellat, et motus in morbis excitare valeat salubres, et ad conservuationem corporis tendentes: negari tamen non potest, ab eadem hac causa irregulares saepe, ac nimios motus produci. Sic vulnus, febrem efficit per se salutarem, sed in corpore cacockymico, motibus nimium austri et euolutis impuritatibus saepe funestam. Id igitur agendum est prudenti Medico, vt motus hos recte dirigat, langentes excitet, nimios compescat et moderetur. Recete itaque fecisti Praestantissime SCHMINCKE, quod in hoc Inaugurali Tvo themate, haemorrhagiarum artificium in certis cassibus praefrantiam prae naturalibus demonstraueris. Viam nempe monstras, quomodo motus irregularles haemorrhagiam naturalem producentes, sint moderandi et rectius determinandi. Gratulor tibi egregium hoc eruditionis specimen et cum indefessa tua diligentia, quam in meis quoque Praelectionibus demonstrasti, sperare me iubant te olim egregie et aegris profuturum et litterato orbi: nihil mihi superest quam ut successum tibi felicem in practicis et theoreticis conaminibus apprecer. Vale. Dabam in Reg. Frid. d. II. Septemb. MDCCLVII.

SVPRE-

SUPREMORVM IN MEDICINA HONORVM
C A N D I D A T O
S. D.
D. ADAMVS NIETZKI.

Quum iam in festinatione sint omnia, quae eruditionis TVAE publica præmia TIBI propediem concedenda indicant: non potui non TIBI idcirco applaudentium numero accedere, TEQUE ex Academia discessurum bonis quibuscumque votis prosequi. Nihil vero magis doleo, CANDIDATE CLARISIME, quam quod nunc temporis angustia præclusus impediatur, quo minus verbosorem ad TE epistolam scribere, atque in laudes TVAS excurrere possim. Breuiter itaque TIBI declarabo animum meum, dum TE etiam atque etiam persuasum esse volo, quod ego diligentiam TVAM semper magni fecerim, idque de TE existimaverim, fore, vt TE quondam bonae notae Medicum adipiscatur respublica. Gratulor TIBI iam ex animo summos in Medicina honores, in TE ab ILLVSTRI MEDICORVM ORDINE IN REGIA FRIDERICIANA proxime conferendos. Maecte esto noua virtute! Semper age res TVAS feliciter, neque amicam memoriam nunquam non conserua. Dab. in Acad. Frider. Ipsi Calend. Septemb.
A. R. s. c/o IOCC LVII.

82A 83B

00 A 6281


ULB Halle
002 828 12X

3



SB

Rehra ✓



DE
HAEMORRHAGIARVM
ARTIFICIALIVM PRAEROGATIVA
PRAE NATVRALIBVS
IN COMPLICATIONE FEBRIS SYNOCHAE
CVM ACVTA MALIGNA

P R A E S I D E

VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO ATQVE EXPERIENTISSIMO
D. ANDREA ELIA BÜCHNERO

SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,
POTENTISSIMI PRVSSORVM REGIS A CONSILIIS INTIMIS,
MEDICINAE ET PHILOSOPH. NATVR. PROFESS. PVBL. ORDINARIO,
IMPERIALIS ACADEM. NATVR. CVRIOSOR. PRAESIDE,
ET COMITE PALATINO CAESAREO,
FACVLTAT. MED. H. T. DECANO SPECTATISSIMO,

P R O G R A D V D O C T O R I S

SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS ATQVE PRIVILEGIIS
DOCTORALIBVS RITE CONSEQVENDIS

DIE III. SEPTEMBR. A. O. R. CI:IOCCCLVII.

I N A L M A R E G I A F R I D E R I C I A N A

P V B L I C E D I S S E R E T

A V C T O R

I O H A N N E S C H R I S T I A N U S S C H M I N C K E

HALAE MAGDEBURGICAE
E T Y P O G R A P H E O C V R T I A N O.